



Fig. LIX.

tum ipsarum ordinarium prohibens, remota fuerit. Qui plura de his legere volet, videat Laudatissimi *Boylli* Experim. Physico-Mech. I. *Honorati Fabri* Phys. Tract. I. Lib. II. *Renati Des cartes* Part. II. Epist. XXIII. XCIV. & CVI *Gass.* *Schotti* Techn. Curios. Lib. IV. Cap. X. & si placet, Disp. nostram de Virtute Elastica Corporum tensorum & compressorum, cujus epitomen quandã in hæctenus dictis exhibuimus.

AD CONCLUS. IX. CONSECT. II.

Ut clarius eloquamur id quod ultimis hujus Consectarii verbis indicamus, concipiatur capsula nostra orichalcea *a d* ea amplitudine facta, ut embolus *d* (*Vid. Fig. LIX.*) diametrum haberet integro pede paulò majorem adeoque imã suã planitie adæquaret pedem quadratum unum, fiantque ea omnia quæ Phænom. XI. facta narravimus, h. e. capsulæ parti superiori *d* applicetur tubus cavus, huic desuper imponatur exhaustum recipiens, & admoto primis quasi capsulæ labris embolo plusquam mille imò plusquam sesquimille librarum pondere onusto, recipientis epistomium revolvatur: his ita factis dicimus, embolum ab externo aere ejus imã basin urgente violèter intrusum, ingens hoc pondus non sublevaturum saltem sed & in aere pendulum aliquantis per servaturum: quia columna illa aeris, cujus basis eadem est cum basi emboli, adeoque unius pedis quadrati, altitudo autem 31000 minimum pedum, æquivalet ponderi 1800. librarum. Cujus quidem rei etsi periculum nondum fecimus, (posset autem aliquatenus tentari tali capsã è ligno interim detornatã) de successu tamen allata modo ratio & Phænom. nostri XI. circumstantiæ dubitare nos nullomodo sinunt maximè cum gemellum plane huic experimentum Amplissimo *Guerikio* ex animi sententia cesserit.

Fecit is Anno 1654. in Comitibus Ratisbonensibus parari sibi cylindrum cupreum instar aheni cavum, diametrum cavitatis $\frac{2}{3}$. circiter unius ulnæ